



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Qui Herodiani?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

ὅτι μὲν ἔσθ' ὁ δῶτα ἢ γῶντ' τῆς μετὰ τὴν δέξιν ἐκείνην καὶ τὸν
τα δὴ δῶτα. Sufficenter ergo ista demonstrant, cognitionem
practicā virtute indigere.

Et Apoc. cap. 3. 17. Ephes. 4. 24.

Per fidem certē ingressus est in cenaculum: quia
verō vestis nuptialis seu charitas defuit, ex Ecclesia in
tenebras inferas detrusus est.

Hoc ipsum similitudo postulat: non enim in con-
uiuio regio satis est, regem credere suum dominum
esse, mensā asidere, opus est etiam honesto decenti-
que cultu, honoratum ceterum non deformare. Itaq;
Origenes illos esse dicit, qui malitiam seruant post
fidem.

Vestis nu-
ptialis non
est fiducia.

§. 4. Non est etiam fiducia specialis de prædesti-
natione, & remissione peccatorum. Lutherus inter-
pretatus est, Christum per fidem indurum. Hoc est,
specialem fiduciam. Melanchthon, fidem, quæ est sola
interna, & absoluta iustitia. Multum tamen ab illis
distat, qui fidem mendicam manum interpretantur.

Erasmus Sacerdus ait, fidem esse efficacem, nec
posse de operibus intelligi. Fides autē efficax illis fi-
ducia dicitur. Lutherus alioqui opera omnino solet
excludere, ut sordidos, & impuros regis mensæ offe-
rat. Aliter omnino veterum oracula, Augustinus l.
22. cap. 19. contra Faustum & contra Donatistas post
collationem cap. 20. & tract. 9. in Ioan. & l. 22. c. 14.

Vestis nu-
ptialis cari-
tas & eius
opera.

contra Faustum, per vestem nuptialem intelligit vitæ
honestatem, ea enim visa in hominibus Deus glorifi-
catur. & Hilar. in Psal. 64. ornatum spiritualium vir-
tutum esse docet. Ambros. in Lucam, fidem per cari-
tatem operantem. Greg. hom. 38. in Euang. esse cari-
tatem. Chrys. hom. 9. in Ioan. vitam puram interpre-
tatur, deniq; Iren. l. 4. c. 70. contra hæreses esse opera
iustitiæ. Quæ interpretationes eodem recidunt.
Nempe fidem nullo modo satis esse, sed charitatem,
eiusque opera, nouitatem vitæ, integritatem, esse ne-
cessaria in nuptiali conuiuio regis permansuro. Ve-
rissime Chrys. loco citato. Ne existimemus nobis fidem
ad salutem satū esse, Charissimi, nisi enim puram vitam exhi-
buerimus, &c. Et hom. 70. in Matth. Non est Augusti-
ni diuersa sententia, qui contra Faustum: Sine veste nu-
ptiali nuptias adit, qui querit ibi gloriam, non sponsi, sed su-
am. Et Hilarius, vestem nuptialem esse gratiam spiri-
tus sancti, & candorem habitus celestis.

VERSVS 12.

*Et ait illi: Amice quomodo huc in-
trasti, non habens vestem nuptia-
lem: At ille obmutuit.*

QUESTIO I.

Quare obmutuit?

§. 1. **G**Ræce ἐκμῦθον, capistratus est: quod ita tactu
ille significat, ut vocem soluere non posset.
Syriacè est ἔσθ' ὁ δῶτα ἢ γῶντ' τῆς μετὰ τὴν δέξιν ἐκείνην καὶ τὸν
τα δὴ δῶτα. Quali seipso constrin-
xerit, & silere fecerit. Nam contemptu regis, non in-
opiā, aut calamitate aliquā veste sordidā indutus ve-
nit: nec contra decorum rex tam ardentem irasci dicitur,
nam sordes coniugæ, tyrannidis eum accusabant,
quali subditis lucuosum esset regium matrimonium.
Omnibus autem, antequam mensæ adhiberentur, ve-
stes datæ sunt, ut esset regium, non mendicorum con-
uiuium. Hanc ille vel contaminauit aut perdidit, ut
sordidus veniret, totique conuiuio esset probro. Nul-
lam itaque excusationem prætendit, ne tentauit qui-
dem. Nam aures regia vox verberat, conscientia, men-
tem flagellat, & se reus ipse condemnat. Itaq; statim

ad poenam rapitur. ἔσθ' ὁ δῶτα ἢ γῶντ' τῆς μετὰ τὴν δέξιν ἐκείνην καὶ τὸν
τα δὴ δῶτα. inquit,
& eycite.

VERSVS 14.

*Multi enim sunt, vocati pauci vero
electi.*

QUESTIO I.

*Quomodo huic loco conueniat Epiphonema: Multi
sunt vocati, pauci electi?*

§. 1. **P**roposito Christi, ac toti parabolæ sententia
repugnare videtur. Vnus ex tam numero-
so conuiuio expellitur, infert tamen dominus. Multos
vocatos, vnum eiecit. Quidam ad omnia supe-
riora referunt. Multi enim vocati sunt, sed pauci electi,
nemo enim ex illis, qui primo loco vocati sunt, ve-
nit. Augustinus contra Donatistas post collationem.
Vnum ait sustinere personam omnium reproborum.
Id quidem verum est; nam de illo solo mentio est,
cum alij plurimi sint cieci.

Mihi tamen simplicissimus sensus esse videtur. Ut
vulnerit Christus probare non omnes, quos Deus
vocauit fide, alijque bonis instruxit, fore saluos, &
quia mirabantur ex medio conuiuio illum abire, &
seuerum mandatum pronunciari in ipsâ lætitiâ pu-
blicâ, adeoque mandati supplicia, & administrari, oc-
currere voluit tacitæ obiectioni, nempe non mirum
esse hunc eijci, multis id euenturum, multos enim ef-
se vocatos, paucos electos, omnibus ita cautè ac sol-
licite agendum, ut vocationi obsequantur. Videba-
tur quidem sufficere ratio, si diceret, multos vocatos,
non omnes electos, ita mirum non esse, si ille voca-
tus exterminaretur. Sed vñus est Dominus rationes,
quæ & hoc ostenderet, & plus conficeret, magnamque
terrorem cunctis iniiceret.

Monuit itaq; S. Athanasius de veritate non ex opo-
nitione multitudinis esse iudicandum, nec sequendum
in actionibus populum, nec tatum est enim huius
ἀποφύγειν viam, qua populus graditur. Maxima pars
affectum, non rationis est sectatrix. Verba Athana-
sij, τίς οὐκ.

VERSVS 16.

*Et mittunt ei discipulos suos cum He-
rodianis, dicentes: Magister sci-
mus quia verax es & viam Dei in
veritate doces, & non est tibi cura
de aliquo: non enim respicis perso-
nas hominum.*

QUESTIO I.

Qui Herodianæ?

§. 1. **Q**uidam aiunt Sectam fuisse ex Induismo &
Paganismo, Syrus ait fuisse de domo Hero-
dis: nam ille circa pascha Ierosolymam venerat. Alij
Herodem noluisse Romanis tributum pendere, alij vo-
luisse eum dari censum Romanis, quod non videtur
dubium, cum Romanæ esset potestatis ciens, & adul-
lator, possideretque regnum, ἐν ᾧ ἔσθ' ὁ δῶτα ἢ γῶντ' τῆς μετὰ τὴν δέξιν ἐκείνην καὶ τὸν
τα δὴ δῶτα. ut docet Appianus, alij
Herodem Magnum pro Christo habitum ex Gene-
seos cap. 49. 10. Non auferetur sceptrum &c.

§. 2. Sectam aliquam, & quidem pestiferam fuisse Herod-
ianorum illis Marci verbis docemur, quibus in-
caute iubet à fermento Phariseorum & Herodæ, cum sit
autem per fermentum intelligat doctrinam, non est
dubium, specialiter noxios fuisse Herodianorum
errores.

errores, Sed quisnam ille error fuerit, quæritur est à veteribus, & hodie quæritur.

Tertullianus de præscriptionibus aduersus hæreticos. cap. 45. in eâ sententiâ fuisse dicit, vt Herodem dicerent Messiam. Taceo, inquit, Saduceos, qui ex huius erroribus surgentes, ausi sunt ad hanc hæresin, etiam resurrectionem carnis negare. Prætermitto Phariseos, qui addita mentis quadam legi astruendo, à ludæis diuisi sunt. Inde etiam hoc accipere ipsum, quod habent, nomen dñi fuerunt, cum his etiam Herodianos qui Christum Herodem esse dixerunt.

Eadem in sententiâ Philastrius, & Damascenus sunt, & refutat errorem Epiphanius hæresi 20 ab Herodem magnifico ait, qui Antipatri filius fuit, alij de illo Herode dictum existimant, qui Christum irrisit, quique Apostolum decollauit, quem Angelus percussit quod impiam assentionem nõ repressisset. Nam hunc studiosum religionis, & Iudaici populi fuisse conflat, ideo enim & Iacobum decollauit, & Petrum in carcere tenuit. Erat idem Herodes Iudæis gratissimus, adeo vt videretur eum pro Messia non inuiti recepisse.

Hic tamen Herodes qui Agrippa dictus non est ille, qui dominum irrisit, miser enim & omnium regens vixit ad Cæsaris imperium vsque. Itaque Antipater fuit, Tetrarcha Galilææ. Quem non videri cur dixerint Christum, non quod non id faceret adulatio, sed non apparet in eo periculum seductionis, vt quis haberet ad monitionem discipuli. Præterea cum apud Iudæos in summo esset odio, tum propter alia tum vero necem Baptistæ, at neq; mihi probari potest, quod de Herode magno, filio Antipatri dicant. Iam enim viginti annos mortuus erat Herodes, omnium hominum ingenti odio, omnibus scelestis, præsertim crudelitatis insignis. Iudæos ille maxime afflixit, idololatram prouexit, Romanis illos subdidit.

Alius igitur aliquis error siue veteris, siue aliorum Herodum fuit, error noxijs, & quo capi facile Iudæi possunt. Mihi secta Herodianorum fuisse videtur, quæ in hodiernum diem perdurat, & vocatur Plerodopolitica, quorum hic conatus est, vt sui commodi causa religionem commutent, misceant, perinde æstimates quacumq; religione viuant, aut sane parum penitus religionem habentes, sed si vilitas, aut honores id exigat, summum pietatis ardorem simulantes. Huius sectæ plurimi erant ex aula dediti, vt sibi confacerent, & regnantibus placerent. Hos aulicos cum suis discipulis inuolant, vt ipsi testibus aliquod reprobant, à Christo, quod calumnia esset obnoxium euerent. Planè aulicæ dominum aggrediuntur, adulantur, non esse acceptorem personarum profitentur, posse quæcumque facile veritatem opprimi maiestate Cæsaris, cum in eum peccanti, nulla soleat esse venia, & innumeratos patronos inueniat fideus. Omnes priuatum in re gratiam, quam bonum publico cum periculo tutum malunt. Illa itaq; præfatione eum obliquè hortantur, vt neget dandum tributum, & se quoq; in eâ sententiâ esse insinuant, vt si id, quod expectabant, respondisset, ex Parrisicis delatores, apud præsidem laudatæ maiestatis accusarent. Sic igitur ab impijs, atheis, plebs opolitica impetrus est. Fuisse vero illam Herodianorum sectam, ex sententiâ, & factis Herodis manifestum est. Nam principio ingenio fuit audaci & violento, Ioseph. l. 14. antiq. c. 17. sed maxime terrore Iudæorum primates violentum ac audax Herodem inueniunt, & tyrannidis cupidum.

Dolis tamen certabat Antipater, nam cum Hircano persuasisset, vt pecuniam mitteret Romanis ipse quasi de suo mitteret, eius munus sibi vsurpauit gratiam, vt idem habet. Herodes eadum accusatus, cum ad iudicium veniret, sexti Cæsaris qui Syriæ præferebat, literis munitus aduenit, & iudicium euasit.

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

mox factus dux Cæle Syriæ, cum profana turba vrbem ingressus est, & tamen Malicho se amicum simulat, qui parentem interfecerat. Apud Antonium his accusatus pecunia data accusatores afflixit.

Constat sane cum a puero, gentium opinionibus imbutus, ita in fuga cum periculum videret, voluit se ipse interficere. Et Romæ rex declaratus ad Capitolium deducitur. Verum quæ religio in Herode fuerit, Iosephus describit l. 15. ant. cap. 11. [Quo factum est, vt magis ac magis discederet à patris ritibus, & peregrinis studijs veterum instituta corrumpere innotabilia: quorum tempore perimagna facta est bonorum morum in deterius inclinatio, labante disciplina, qua ante hac populus solebat contineri in officio. Ac primum athletica certamina quinto quoq; anno in honorem Cæsaris instituit, theatro Hierosolymis exstructo: deinde in campo amphitheatrum, vtrumq; sumptuosum opere conspiciunt, sed alienum à Iudaicis moribus, apud quos nullus est horum usus, nulla spectaculorum ostentatio. Ille tamen celebritatem hanc nobilissimam esse voluit, denunciatam circumvicinis atque etiam longinquis gentibus: propositisque præmijs magnis vndique athletarum ceterorumque certatorum concursus factus est, conflueruntque exercitissimi quique in hoc genere, euocabantur enim magnis præmijs, non hi tantum qui gymniciis certaminibus dant operam, sed musici etiam præstantes & qui vocantur thymelici: nec non quadrigarij ac trigarij, & qui singulis equis celeritatis cursum peragunt: magna contentione Regis, ne quid desideraretur, quod vsquam in hoc genere sit spectabile. Theatrum ipsum per circuitum titulis erat ornatum Cæsaris, & tropæis denictarum ab illo gentium, auro atque argento collucens, quod verò ad instrumentum & apparatus attinet, non vestes pretiosissimæ, non gemmæ raritate insignes deerant in his spectaculis: conquisitis etiam feris plurimis, leonibus ceterisque vel robore spectandis, vel aliquo naturæ miraculo, hæc modò inter se, modò cum damnatis hominibus committebantur: quæ peregrinis quidem spectatoribus plurimum admirationis simul atque delectationis afferebant, indigenis verò profus ad dissolutionem patriæ disciplinæ tendere videbantur, nihil enim magis impium existimabant, quam ex spectandis hominibus cum bestiis comparatis voluptatem crudelem captare homines: absurdum æque peregrinis artibus mutare instituta domestica. Sed nihil tam molestum fuit quam tropæa: quæ cum putarent armis contectas imagines, quarum usus interdixtus est nostris legibus, indignissime eas ferebant, à quibus cum eos sic abhorrere Herodes animaduertisset, per vim nihil agere voluit, sed blandis alloquijs conabatur hanc superstitionem eximere: nihil tamen mouebantur, sed credentes eum grauius peccare, vno ore exclamant: etiam si reliqua omnia fere oporteat, non laturos se intra urbem hominum imagines: sic tropæa vocabant: hoc enim nefas esse. Herodes verò videns eos turbatos, & sine satisfactione non facile cessuros, accitis ad se præcipuis ex illo numero, & in theatrum adductis, rogabat eos, ostendens tropæis, quidnam hoc esse putarent, cumque reclamassent hominum esse imagines, iubet detrahi ornatum appolitum, & ostendit nudos stipes, quo facto in ipsum vertit indignatio concepta ex suspitione imaginum, atque ita sedato multitudinis tumultu, plerique iam motati æquo animo ferebant omnia, quidam tamen ne sic quidem destiterunt externos mores abominari, veriti ne ex hac mutatione sequeretur magnum aliquod reipub. incommodum: putaueruntque sui officij labanti disciplinæ publicæ vel capitis periculo succurrere, nec pati-

Herodes
Ethnico Iu-
dæis.

1118 Gm
112
uangelia
Cm
118

M m 3 Hero-

Herodem quicquam contra receptos mores inducere, & pro Rege hostem agere, ex his decem ciues con- iurauerunt contempto periculo, sicasque vestibus texerunt: & in his vnus cæcus, ob indignitatem eorum quæ audierat non tam paratus ad agendum aliquid, quam ad patiendum, si quid assertoribus patrii moris accideret, cuius exemplo non mediocriter confirmati sunt ceteri: Hi communicatis consilijs in theatrum vadunt, sperantes nec ipsum Regem improuisum imperum suum euasurum, aut certe multos ex aulicis eius stipatoribus opprimendos: & vel hoc sibi fore mortis solatium, si illum violatæ religionis ergo in populi inuidiam adducerent. Et illi quidem quasi duces se cæteris præbentes hæc facere statuerant. quidam verò ex his, quos Herodes ad perscrutanda & indicanda talia disposuerat, rem totam expiscatus, Regi theatrum ingressus aperit, is non ignarus quantum odiorum sibi quotidiè concitaret, recipit se in Regiam, & nomina im coniuuratos accersit: qui comprehensi in ipso facinore, & scientes nullum esse effugium, decreuerunt præsentem necessitatem ferre fortissimo, nihil enim inficiati in terrore vultu sicas protulerunt, profluentes se rectè ac pie coniurasse, non propter priuatos affectus, aut sui commodi gratia, sed pro disciplina publica, quæ nemo bonus violare ne morte quidem sibi intenta sustineat, hæc illi cum magna confidentia pro se attulissent, à Regis abducti per omnes cruciatus necati sunt, nec multo post delatores eorum inuictis in omnibus à quibusdam interfectus frustim concisus est, & obiectus canibus: idque multis inspectantibus: nemo tamen hoc factum prodidit, donec post longas ac molestas Herodis inquisitiones à concijs quibusdam mulierculis per tormenta expressit confitio, tum veò authores eius facinoris cum totis familiaribus plebeban- tur, plebe nihilominus interrita, & parata leges defendere, ni maiore cohiberetur potentia.]

Ex his apparet, quod fuerit fermentum Herodis, nempe politicissimum & religionis contemptum, missionemque.

Cæsari
templa
struit.

Et cap. 12. [Hæc tamen ambitio studiumque demerendi Cæsarem cum Romanis potentioribus cau- sa fuit, vt multum à patrijs institutis decederet, & leges diuinas violaret, dum in honorem eorum vrbes condit, & templa exstruit, licet non in solo Iudaico, hoc enim illi nequaquam latuissent, quod necesse sit nostris statuas ac effigies more Græcorum colere, quæ propter exteri eorum regionem tales vrbes collocabatur, excusans se Iudæis, quod non sponte, sed potentiorum iussu hæc faceret: & interim Cæsarem Romanoq. tanto magis sibi deuinciens, quod in eorum honorem à patrijs consuetudinibus sustineret discedere. Sed præcipuus scopus erat utilitas propria, & studium memoriæ propagandæ ad posteros, ita vt in condendis & exornandis vribus nullis sumptibus parceret.]

Et cap. 13. [Deducto inde ad mare Cæsare in regnum reuersus, in terra Zenodori elegantissimum ei templum construxit è marmore candido, prope Panium quod vocant, id Spelunca est in monte amœuissima, eique subiecta in immensum hians terræ deuexitas, plena aquis stagnantibus, ei mons valde magnus imminet: sub Spelunca autem scatent fontes Iordanis fluminis hunc locum alioquin etiam celebrem ornatu templo exstructo in honorem Cæsaris. Tunc etiam tertiam tributorum partem remisit regi sui subditis, prætextu quidem vt post sterilitatem se rescerent, te autem vera vt placaret eorum animos, offensus talibus regis operibus, quæ videbantur planè ad religionis & bonorum morum perniciem tendere, vt omnium iactabatur sermonibus.]

Populus intelligit religionis interitum agitari ab Herode.

Et cap. 9. de Cæsare dedicatione. [In eius dedicatione magna fuit celebritas, & apparatus facti sunt famulatio, exerciti enim sunt ad certamen artifices, musici, & athleta gymniconum certaminum, ad hæc gladiatorum ac ferarum comparatus magnus numerus, & quicquid huius generis in pretio est tamen Romanæ quam apud gentes cæteras. Consecratum est autem hoc quoque certamen Cæsari, instaurandum per singula quinquennia. Hunc omnem apparatus Rex suo sumptu magna ambitione vndeunque contraxit conuehi.]

Et eodem capite. [Inter hæc præcipua quod Rhodij Pythium templum suo sumptu exedificauit. Et Ludos etiam Olympios non satis respondentes sue celebritati propter inopiam adiunxit attributis animalium, quod splendidius & sacrificia fierent, & alia quæ ad decorandum tam frequentem conuentum pertinent: pro qua munificencia perpetuus agone thea declaratus est.]

Hæc omnia ex ambitione, vt scribit cap. 9. Iosephus.

Ego vero aliter credo. & vtrumque ab vna causa profectum existimo. Eò enim quod honoris esset cupidissimi, & totus huius affectui deditus, incitabatur ad magnificentiam, sicuti spes esset aut in præsentis laudis, aut in posterum memoriæ: quare quod esset supra facultates sumptuosus, cogebatur molestius se subditis, nam cum in alios elogaret multum pecuniæ, necesse erat eam aliquando malè quætere. Deinde sciens se ob eas in uarias iniurias subiectis, eas offensas lenire videbat difficile, neq. enim poterat uelle redditus minuire, itaq. abutebatur suorum odio in suum commodum, nam si quis illorum non per omnia seruitutem toleraret, aut videretur velle dominationem eius excutere, in tales impotentes seuebat non aliter quam in hostes, nullo cognatorum aut amicorum discrimine, quod solus vellet honorari ab omnibus. Quam autem honoris cupidus fuerit, colligitur licet ex his ipsis honoribus, quos ille Cæsari & Agrippæ ceterisq. eius amicis exhibuit volebat enim exemplo esse suis, vt quemadmodum ipse præstantiores colebat, sic etiam coleretur ab omnibus: & hoc pacto satis clarebat, cuius rei natura esset appetitissimus. Sed Iudæis per leges patrias non licet hoc modo potentiores colere, quos necesse est maiorem rationem iusti & æqui habere, quam officiorum tallum: quibus satis incommodum erat, quod non possent statuis & templis demereri Regis gratiam, & similibus adulationibus explere insanam cupiditatem gloriosi hominis. Atq. hæc mihi causa videtur, cur Herodes erga familiares & consiliorum participes iniquior, erga externos & alienos tanto beneficentior fuerit.

Id verissimum est, nam sepulchrum Dauidis, & Solomonis spoliavit lib. 16. cap. 11. Audierat Hircanum inde tria millia talentorum exiisse, idem aggredi animo diu habuit. Tunc vero notum apertum sepulchrum ingreditur, cum prius cauisset accurrere, ne hoc esset in periculum, assumptum tantum amicorum fidissimum. Deposito tam in precantia non inuenit, sicut Hircanus, sed mundi preciosa, & magnam vim ornamentorum inde sustulit. Alia quoque innumera sunt, vt de aurum a quillâ, proceribus post mortem suam neci destinatis.

Ex his apparet Herodem, quamuis pietatem simularet, templum extruere colere, reuera tamen etiam dæmones coluisse, & omnia præ regnandi potestate contempsisse. Hæc profanissima de religione exultatio in posteris Herodis manebat, & Herodiani palam impij ac contemptores patriæ religionis habebantur. Imo quemcunq. illi Deum facere videbantur parati, qui iterum potiretur.

Quia ipse Iosephus hæc incutans, lib. 7. belli, c. 12. Melam proficetur Vespasianum, tanta vis adulandi est. Quod maxime inquit, eos ad bellum excitaue- rat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inuentam, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multiq; sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè re- spoñso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Iudeam creatus est Imperator.]

Et hinc Sueton. in Vesp. c. 4. Percrebuisse toto Ori- ente veterem & constantem opinionem esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. Diluci- dius tunc indicat Tacitus l. 5. hist. Nam pluribus, inquit, per Iudeos iuerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, vt valejceret Oriens, profecti Iudæa verum poti- rentur, quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Qua ex te dulcimus, quæ facillè oracula sacra infideles pro- ficiunt, atq; ad sua errata accommodent. Non erat prædictum fore, vt Iudæa profecti rerum potirentur, sed fore, vt de tribu Iudæ, de castello Bethlehè, de do- mo David nasceretur, qui regnaret in æternum. Non ergo Vespasianum ambages illæ caneant. Vespasianus, vt oracula eluderet, oēs quos reperire de domo Da- vid potuit, occidi mandauit. Euseb. l. 3. c. 11. Miracula et Vespasian. irritari voluit. Herodianus ergo regum adu- latores fuerunt, religionis irrisores, & pseudopolitici.

Secunda eorum ergo, & fermentum, totū in honore, opibus, & voluptatibus, ex morib. Herodis conflata: ille enim Iudaicum cum gentiliū cultu iungebat. §. 2. Herodianos, Phariseos, Sadduceos inter se capitaliter disidentes, ad Christum opprimen- dum aut illaqueandum venire videmus. Hoc in om- ni genere secularium apparet. Nam etsi acerrimè se mutuo oderint, omnes tamen contra veteres Eccle- siæ Doctores, & veriatis orthodoxæ assertores syn- cretismo quodam conspirant. Quare etiam mutuis se opibus iuuant: ita olim Wormaltæ, Ratisbonæ, aliq; locis in iisdem castris disputantium diuersissi- mæ opiniones versabantur. Caluinus suorum nobis cœnæ imponit. Et tam infesto odio flagrant Papistæ contra Euangelium, vt Epicureos, Libertinos, & alia cuiusmodi portentosa libenter foueant, modò ad illud labefactandum his viantur adiutoribus. Respondeo. Catholicos atq; ad eò ipsum Papā pro Euangelio cō- tra Epicureos, Libertinos, & Libertinorū satores Cal- uinistas stare. Nihil vobis profunt Epicurei, aut Liber- tinos, quorum multos Catholicæ religionis specie sua scelerata fouere dolemus: sed vel ignorantur, aut magi- stratum in curia, impotentia, vel metu grauioris ma- lè impendunt, Dei iudicium & manum vindicem expectant, quamvis ad tempus ruptis Ecclesiæ legibus petari & iustitiæ impunè insultent. Porro quid est Caluinismus nisi Libertinismus, verbo ab Epicurif- mo aperto difficiens?

VERSUS 17.

Dic ergo nobis quid tibi videtur, li- cet censum dare Casari, an non?

QVÆSTIO I.

Quis fuerit census, & an dare licuerit?

¶ I. Nemo non videt quæstionem inuidiosam, & obliuiscam, altera vero parte etiam periculo- sam. S. affertur: apud populum tanquam libertatis proditor traduci poterat, aut sanè ex eo probari, non esse Messiam, quem publica libertatis assertorem, qui in totum orbem imperium propagaturus esset, expectabant. S. neget: apud præfide erat parata

accusatio ac supplicium. An liceat dare? quasi de conscientia solliciti, non de argento agant. Erat tunc temporis quæstio illa non modo in scholis, & apud eruditos disputata non modo verbis, verum et- iam rebellionē, & armis agitata pars altera, Actor. 5. 37. à Pompeio Victore primū inductus ille fuit census. Negare optabant Christum, & docere non licere censum soluere, vt occasionem illius perden- di haberent. Nam quamvis Christus ita responde- rit, vt calumniæ ansam abscinderet, postea tamen eum accularunt, quasi prohibentem dare censum Ca- sari.

§. 2. In Syro est כסף argentum capitis, hoc est, quod capiatim exigebatur. Varios census & Hero- des, alijq; Iudæorum dynastæ semper extorserunt, inuentis mille prædandi vocabulis, contra quæ si quis hisceret, de vitâ actum erat, & Lucas ostendit quan- tum fuerit periculi. Ideo quæsisse dicens: vt eum tra- derent potestati, & præfidi.

VERSUS 19. 20. 21. 22.

Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: cuius est imago hac & superscriptio: Dicunt eis Casaris, Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Casaris Casari, & quæ sunt Dei Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.

QVÆSTIO II.

Quomodo respondet?

§. 1. Vt poterat inuidiosam quæstionem omittet, aut aliam vicissim reponere, quod interrogan- tium nota esset, & publica machinatio. Verum rem sibi curæ esse ostendit, atq; ita temperat omnia, vt ipsi respondeant. Querit enim quæ sit inscriptio, Sy- riace כסף Cephba, scriptio. Norat ille & num- mum, & literas, sed eos libi ipsis respondere cogit. Cum dicerent: esse Casaris, iubet dare Casari, quæ sunt Casaris, & Deo, quæ sunt Dei. Hoc est, si num- mus est Casaris imagine inscriptus, & id etiam literæ signant, atq; ex eo precium habet publicum, Cæsa- rem igitur dominum agnoscitis. date ergo illi, quod regibus debetur. Nummus enim Romanus, eiusq; vltus, sub Romanorum illos imperio esse demon- strabat. Ne enim à Parthis, Arabibus, alijsq; gen- tibus opprimerentur, primò fœdus cum Romanis fecerunt, postea dissensione domesticâ in eorum po- testatem venerunt. vt Ioseph. lib. 4. c. 8. antiq. Ierosoly- mam stipendiarium fideant, & paulò post: Quorum om- nium mal. rum causa fuisse Ierosolymitanis Hyrcanus & A- rrisobolus inter se dissidentes nuicem. nam cum primum liber- tatem amisimus subiecti Romanorum imperio: & regionem de Syris bello captam reddere ipsis coacti sumus: & insuper plus- quam decem m. li. talentorum breui tempore a nobis Romanis exegerunt: & regnum quo prius pontificale genus honestaba- tur, ad plebei. s. translatum est homines.

§. 2. Non immeritò queritur: quo modo in num- mis imaginem Casaris habuerint Iudæi: cum omnes imagines abominarentur? Constat sanè nummos fuisse Casarum imaginibus insignitos, crebro etiam al- terâ in parte, idoli alicuius sculpturam habuisse. ac Iudæi nefas ducebant, suas in regiones imagines in- ferri, vnde paulò post bellorum origo.

Mm 4

Re: